mari? Reſpond. [ſ] Debet hoc caſu iudex litteras derigere ad iudicem illius loci, ſiue territorij, in quo citandus degit vt ibi illum citari faciat; ſeu permittat, & hic modus citandi communiter ſeruatur, vt dicit Alber. in l. 1. num. 2. ff. de requir. reis. & appellantur talis Litterę ſubſidiales, ſiue in ſubſidium iuris. Subdit tamen ibi Alber. ſe credere, quod de ſubtilitate iuris poſſit iudex reum citare extra ſuum: Sed attenta generali conſuetudine non videtur circa hoc inſiſtendum. Nullus enim iudex citat extra territorium ſuum. Et ita de facto ſeruari atteſtatur Iac. de Beluiſ. Iunior in repet. §. contrahentes, num. 242. in fin.

20 Poſſet [t] fortè dubitari, ſi vtrumque territorium eſſet ſub eodem principe, nunquid poſſit iudex vnius territorij citare reum in alio teritorio degentem nam Bart. in d l. 1. §. 1. num. 3. ff. de requi. reis, tenuit, quod quando eſt ſub eodem præſide prouinciæ, poſſit iudex etiam per litteras ſuas citare reum in alio territorio; & hæc eſt communis opin. Legiſtarum, vt dicit Aretin. conſil. 135. col. fin. & ita communiter teneri atteſtatur Iaſ. in l. fin. num. 24. ff. de iuriſd. omn. iud. quem refert Marſil. in ea l. fi. num. 34. & Marc. deciſ. 401. in vltimis verbis Apoſtill. ad Abb. in cap. 1. ſub num. 2. ff. qui matri. accuſ. poſſ. Io. Arno. Epito. 71. ſæpè contingit. Contrarium autem tenent communiter Canon. vt atteſtatur Aretin. in conſil. præallegato. Et ideo dixit Ang. in dict. l. fi. num. 6. quòd in hoc articulo opus eßet deciſione Imperatoris. quod dictum Angel. refert Foller. in practica crim. fol. 40. nu. 27. In hoc Ducatu ſeruatur opin. contra Bartol. nam iudices ſemper citant reos exiſtentes in alio territorio per litteras ſubſidiales, prout etiam atteſtatur Boſſ. in tit. de citat. poſt num. 24. Et non eſt ab hac practica vllo modo recedendum.

21 Sed quid ſi reus nullum habeat domicilium, ſed [u] ſit vagabundus, quomodo poterit citari? Reſpond. Pract. Milei, fol. 34. num. 13. & ſeq. dicit, quod ſufficit illum citari per libellum lectum, & affixum in æde, vel voce preconis in publico: & ſubdit, quod ita de conſuetudine ſolent facere ſeruientes, ſiue nuncij, qui ſi non inuenerint reum vagabundũ citandũ, referũt ſimpliciter ſe citaſſe reũ, non dicendo vbi citauerint. Sed certè apud non ſeruatur hæc practica, ſed citatur reus in formam abſentis, iuxta diſpoſitionẽ conſtitutionum huius Ducatus, de quibus ſupra dixi.

22 Quæro [x] modo, nunquid in criminalibus vna citatio ſufficiat, an autem plures requirantur. Reſp. de iure videtur, quod plures requirantur, vt colligitur ex tex. in l. abſentẽ. ibi, ſæpius moniti. ff. de pœnis: ſed hoc de conſuetudine non ſeruatur, vt dicit Vital. de malef. in rubr. de citatio. num. 1. ſubdens, quòd aſſeßores faciunt pro ſuo arbitrio. Tu verò aduerte ne erres. Nam, Aut quæritur, an præuia tantum vna citatione poſſit reus condemnari: & dic, quod non, vt ita procedat text. in dicta l. abſentem. nam vltra primam citationem debet etiam reus citari ad allegandum, deinde peremptoriè ad ſententiam ſecundum diſpotionem iuris communis, vel aliter ſecundum [y] formam traditam à ſtatutis, vel à conſuetudine, quæ ſeruatur in loco, in quo iudicium agitur. Aut quæritur, an quando citatur peremptoriè reus, requirantur tres citationes, ſecundum tradita in l. ſi finita, §. Iulian. ff. de damno infecto: an verò vna citatio ſufficiat? Et dicendum eſt, quod etiam in criminalibus vnica citatio peremptoria ſufficit pro omnibus, quidquid dixerit Cyn. loquendo per verbum credo; in l. 1. verſic. Quarto quæro, C. de requir. reis, cuius opin. communiter reprobatur, vt dicit Felin. in cap. conſuluit, poſt num. 13. verſic. Quarto fallit de offic. delegat. quem refert Boſſ. in tit. de ſentent. numer. 4. Et hæc ſententia contra Cyn. eſt cõmuniter recepta, vt dicit Blan. in practica crim. fol. 10. num. 19. Vbi etiam ſubdit, quod ita de conſuetudine obſeruatur. Ita etiam communiter teneri atteſtatur Alexan. in l. contumacia, num. 14. ff. de re iudic. Guliel. de bened. in 2. par. repet. c. Raynutius, in verb. mortuo itaq; teſtatore, fol. 91. num. 152. Et licet gloß. in clem. prima, in verbo, Tertio de vita, & honeſt. cler. ſentire videatur, quod quando lex diſponit, quod citatus incurrat pœnam ratione contumacię, requiratur præciſè trina citatio, & illam gloſſ. dicat communiter approbari Alex. in d. l. contumacia, num. 12. ff. de re iudic. veritas tamen ſe habet in contrarium, quod ſcilicet etiam, vbi agitur ad pœnam, [z] ſufficit vna citatio peremptoria pro omnibus. Et hanc dicit eſſe communem opin. Afflict. deciſ. 289. Sereniß. Rex. num. 7. Et in hoc eſt dubitandum, præſertim ſtante generali conſuetudine.

23 Sed hic quæro, nunquid etiam in cauſis criminalibus omnis neceſſaria ſit citatio peremptoria. Reſp. Aut ſententia eſt ferenda contra reum contumacem, & de hoc dixi infra quæſt. 44. verſic. item quęro; Aut verò reus eſt præſens in iudicio: & tunc ſententia condemnatoria capitalis contra eum fertur, non modo ipſo ligitimè citato, ſed etiam ſolet in eius faciem pronunciari: & ita obſeruat totus mundus, vt dicit Angel. in l. penul. §. ad crimen, poſt num. 4. verſic. Septimo fallit, ff. de publ. iud. quem refert Aug. ad Ang. de malef. in verbo, Qui D. iudex, poſt nu. 12. & in verbo. Qui iudex commiſit L. preconi, in fi. & Boſſ. in tit. de citation. num. 8. & in tit. de ſenten. numero 15. & pract. Conradi. fol. 441. num. 7. Et ita communiter fieri cõſueuiſſe dicit Barb. conſil. 70. num. 2. lib. 4. Ita etiam quotidie practicari atteſtatur Blancus in pract. crim. fol. 18. num. 4. Neque hoc caſu poteſt interuenire procurator. Et eſt communis opin. vt dixi infra, q. proxima, verſic. item quæro; Et in ſpecie ita paſſim receptum eſſe in Flandria

atteſta-

[ſ] Debet hoc caſu iudex.] Adde ſimilem modum citandi teſtes ſupra quæſtione 26. verſic. ſed quæro circa fin. eſt autem à ſenatu prohibitum, vt ibi: At in ſtatu noſtro Pallauicino citando in criminalibus non ſolent tranſmitti hæ litteræ ſubſidiales, ſtante ſtatuto ſecundo in criminalibus, ibi; Si verò delinquens fuerit forenſis. An autem talis citatio facta in alieno Territorio arctet citatum, ita quod captus in proprio domicilio ſententia à tali Iudice lata exequi poſſit, quia citare debuerat ei nõ ſubiectũ per litteras ſubſidiales, quod non, dixit Chart. de exec. ſent. cap. fin. ſub numer. 185. dixi infr. ad quæſt. 85. verſic. Tertius eſt caſus. *Drogh.*

t Poſſet fortè dubitari.] Adde, quod officia-
65 les † Regij poſſunt citare in territorio Baronum, & nuncius Regius non debet accedere ad Baronẽ, ſeu eius officialem pro licentia, antequam citet. Boer. deciſ. 8. deciſio. Tholoſ. 423. & Foller. in pract. crim. in verſic. fiat relatio nuncij, num. 17. *Baiard.*

u Sed ſit vagabundus. Adde ſupra q. 28. verſic. ſcias autem. *Drogh.*

Sed ſit vagabundus.] Adde, quod vagabundus
66 citatur † per edictum, ſecundum Menoch. in conſil. 100. num. 110. vol. 1. & in tract. de recuperan. poſſeſſ. remed. 8. numer. 116. vide etiam Decian. in conſil. 18. numer. 85. vol. 1. *Baiard.*

x Quęro modo.] Cart. d. c. fi. num. 186. *Roſ.*

y Formam traditam à ſtatutis.] Farin. tit de Inquiſit. volum. 1. q. 11. numer. 36. *Roſ.*

z Vna citatio ſufficit.) Adde Neguſ. tractat. de pign. primo memb. 6 par. numer. 4. infra quæſt. 63. verſ. Quęro modo, verſ. Hæc autem, & verſic. Quid ſi, quæſt. 44. verſic. Quæro nunc. *Drogh.*

Sed

atteſtatur in Pract. Iod. fol. 149. numero 12. Sed certè in hoc Ducatu hæc pract. non ſeruatur: nã quando reus eſt in carceribus, ſententia condemnationis fertur cantra eum, abſque eo, quod citetur, aut conducatur ad præſentiam iudicis, ſed ſufficit monitio generalis, de qua dixi infra q. 45. verſ. facta autẽ. Sed neque etiam ſententię criminales in hoc Ducatu pronunciantur ab ipſis iudicibus ſedentibus pro tribunali, niſi quando proferuntur contra contumaces: ſed notarij ſcribunt ſententias de commiſſione iudicum, & ipſi illas ſubſcribunt, & deinde mittuntur executioni, & in his nullo modo eſt ab ipſa loci conſuetudine recedendum.

24 Vlterius quæro, nunquid in cauſa criminali citandus ſit fiſcus, & accuſator. Reſp. in hoc Ducatu habemus decretum in nouis conſtitutionibus in tit. de accuſat. cap. Ego amplius diſponens, quod in omnibus actibus præiudicialibus etiam ante inquiſitionem formandam debet [c] citari pars offenſa, & fiſcus: & ita ſeruatur. De iure aũt communi non reperio, quod hæ citationes ſint de ſubſtantia proceſſus vſque ad ſententiam: ſed ad ſententiam ipſã ferendam, dicit Boſſ. in tit. de ſententijs, numero 17. quod ſunt citandi omnes illi, qui ſunt in cauſa, & cum quibus eſt lis conteſtata: aliàs ſententia eſt nulla. Et ſubdit, quod hæc eſt communis opinio. Sed certè quo ad accuſatorẽ cautela eſt, quod iudex faciat ſibi ab eo dari licentiam procedendi, & expediendi proceſſum etiam ipſo abſente, & eo caſu poterit procedere etiam ad ſententiam abſolutoriam eo non citato, vt dixi infra, quæſt. 45. verſic. facta autẽ: de quo tamen vide, quæ dixi ſupra quæſt. 3. verſic. ſuperflua igitur; Vel quod pars accuſata faciat illũ citari iuxta practicam, quam tradit, & ſeruari atteſtatur Carauita ſuper 202. ritu magnæ curiæ, num. 4. in fine, et numero 5. Quæ verò ad fiſcum in hoc Ducatu, quando reus eſt præſens, conſuetudo eſt, [d] quod fiſcales ſubſcribant ipſi ſententiæ; & ſic poteſt dici, quod ſententiæ criminales apud nos proferuntur non modo fiſco citato, ſed etiam præſente. Si verò reus eſt contumax, non citatur fiſcus, neque accuſator, ſed fit condemnatio ad ſonum tubæ, vel campanæ, vt dixi infra q. 44. verſ. item quæro: quæ quidem campana, vel tuba habet vim citationis actoris, & rei, & omnium citandorum: Et hoc ex ſtylo, & conſuetudine, vt atteſtatur Aug. ad Ang. de malef. in verbo, Et ibi caput, poſt nu. 2. ſubdens, quod talis ſtylus, & conſuetudo faciunt ius. Vidi, quæ dixi ſupra, verſiculo dictum eſt, & ſupra Quæſtione vndecima, Verſiculo Sed quid è conuerſo.

25 Vltimò [e] quæro, Tuſcis, quod in citatione ſemper ſolet apponi aliquis terminus, puta tridui ad comparendum, & reſpondendum inquiſitioni, &c. Nunquid pendente eo termino iudex poterit capere facere reum inquiſitum? Reſp. quod ſic: & ita ſeruatur, vt dicit Boſſ. in tit. de captura, num. 10.

Et ideò, quando rei timent ne capiantur, cautela eſt, quod exhibeant fideiuſſorem de comparendo infra certum terminum: & practica huiuſmodi fideiuſſione ſolet tolli decretum capturæ.

a Sed certè in hoc Ducatu.] Adde, quod idẽ ſeruatur in ſtatu Eccleſiaſtico, & in Regno Neapolitano, & ita ſemper ſeruari vidi, & ſeruaui. *Baiard.*

b Sed ſufficit monitio generalis.] Contra contumaces verò quomodo proferatur ſententia, infra q. 44. verſ. fin. q. 55. verſ. Itẽ poſſet q. 51. in princ q. 93. verſ. fuit aliquando, infra hac eadem q. 31. verſ. ſed quid. *Drogh.*

c Citari pars offenſa.] Hæc fortè ad ſubminiſtrãdum indicia; tamen ſic rarò vtimur extra Statum Mediolani, quia rarò tractatur de præiudicio fiſci, cum fiſcus ſit ſaccus. Vide ſupra quæſt. 11. verſic. ſed quid è conuerſo, vbi quod pars neceſſario citari non debet. Adde infra q. 57. verſ. ſed hæc, quæſt. 48. in princ. vbi de iſta citatione. *Drogh.*

d Quod fiſcales ſubſcribant.] Adde infra q. 46. verſ. ſed quomodo probabitur in fin. *Drogh.*

e Vltimo quæro.] Ad-
67 de ſi quis † fuerit citatus ſine termini præfixione, an talis citatio arctet citatum ad comparendũ, Bartol. in l. liber homo, §. 1. ff. de verborum oblig. & Baldus in leg. conſentaneum, verſ. & nota primo, C. quo modo, & quando iudex; dicunt, quod tanquam incerta, & obſcura non arctat. Bald. verò ſibi contrarius in l & perfectius, colu. 3. verſ. 2. quod vbi. C. de anna. except. tenuit contrarium, quia tacitè intelligitur tempus, infra quod citatus poſſit comparere, & hanc partẽ ſequitur Boer. qui hanc quæſtionem latè examinauit in deciſ. 235. quam magis communem eſſe atteſtatur Carau. in ritu 123. num. 9. dicit tamen quod cautius erit ſemper in citationibus terminum apponere: & iſtam quæſtionem diſputauit etiam Vant. in tract. de nullit. ex defectu citat. in verb. terminus, nu. 67. *Baiard.*

QVÆSTIO XXXII.

Procurator, an in Cauſis Criminalibus ſit admittendus.

SVMMARIA.

Ex Claro.

1 *Procuratorem non eſſe audiendum in cauſis criminalibus.*
2 *Et quid in criminibus priuatis.*
3 *Et quæ ſit ratio.*
4 *Et quid ſi imponatur pęna pecuniaria.*
5 *Et quid ſi imponatur pęna relationis, vel minor.*
6 *Et quid ſi imponatur pœna priuationis, ſeu depoſitionis ab ordine.*
7 *Et quid ſi pro crimine, pro quo de iure communi impoſita eſt pęna corporalis, ſtatutum imponat pœnam pecuniariam.*
8 *Et quid ſi pro crimins impoſita ſit pœna arbritrar. iud.*
9 *Et quid ſi impoſita ſit pœna pecuniaria, quam ſi non ſoluerit, infligenda ſit pœna corporalis.*
10 *Et quid ſi ignoretur, an vulnus ſit lethale, vel non.*
11 *Dt quid in caſibus, in quibns poteſt contra abſentem procedi ad ſententiam diffinitiuam.*
12 *Et quid ſi reus ſit ex alio maleficio bannitus.*
13 *Et an hoc caſu debeat ei concedi ſaluus eonductus.*
14 *Et quis poſſit eum concedere.*
15 *Et an in caſibus, in quibus poteſt contra mortuum procedi, admittatur procurator.*
16 *Et quid ſi reus ſit carceratus.*
17 *Et quid ſi procurator velit pro abſente allegare tantummodo cauſas abſentiæ.*
18 *Et quid ſi velit proponere, quod reus habet in eo loco capitales inimicitias.*
19 *Et quid ſi velit opponere exceptiones contra perſonam accuſatoris, vel iudicis.*
20 *Et quid ſi velit opponere occiſnm fuiſſe bannitum.*
21 *Et an in cauſa nullitatis admittendus ſit procurator.*
22 *Et an quando proceditur per viam exceptionis.*
23 *Et an poſſit pro accuſatore procnrator interuenire.*
24 *Et qnid ſi nõ fuerit oppoſitum contra procuratorem, an proceſſus valeat.*
25 *Et an ferenda ſit contra dominum abſentem, vel contra procuratorem præſentem.*

Ex Additionibus.

1 *Princeps de poteſtate ordinaria non poteſt procuratorem in criminalibus admittere, in quibus de iure non admittitur.*

Procu-

2 *Procurator in criminalibus, quando admittuntur, remiſſ.*
3 *Procurator non admittitur etiam pro minore.*
4 *Procurator in Regno Neap. in criminalib. non admittitur, niſi ad allegandum excuſationem abſentiæ, infirmitatis, vel captiuitatis.*
5 *Et quid de nullitate citationis.*
6 *Procurator non auditur in ſtatu eccleſiaſt. in cauſa ſanguinis, niſi reo in carceribus conſtituto.*
7 *Sententia lata perſonaliter non comparente in ſtatu eccleſ. ab ipſo iure nulla, etiam fiſco, vel parte non agente.*
8 *Procurator non admittendus non admittitur etiam in cauſa appellationis.*
9 *Procurator non admittitur in cauſa criminali, ſed pecuniaria, & quando admittitur, remiſſ.*
10 *Procurator, an admittatur pro accuſatore, remiſſ. & nu. 53.*
11 *Iudex in omnibus delictis poteſt principalis rei præſentiam requirere, & nu. 16.*
12 *Procurator an interueniat in cauſa iniuriarum criminaliter mota.*
13 *Procurator non admittitur in delicto, cuius pœna eſt arbitraria, antequam pecuniaria declaretur.*
14 *Procurator non admittitur in pœna declarata pecuniaria, quando reus fuerit contumax, & obtinuerit admitti ad nouas defenſiones, vel fuerit reſtitutus.*
15 *Vulneratus an poſſit puniri, antequam mors vulnerati ſequatur, remiſſ.*
17 *Bannitus an poſſit citari, remiſſ.*
18 *Saluus conductus non conceditur ad agendum.*
19 *Saluus conductus an concedendus bannito, remiſſ.*
20 *Saluum conductum frangens, quomodo puniatur, remiſſ.*
21 *Saluus conductus datus al cui, & ſocijs extenditur ad Hebr.*
22 *Saluum conductum frangens, quando teneatur crimine læſæ maieſt. rem ſſiuè.*
23 *Saluo conductu abutens quomodo puniatur remiſſiuè.*
24 *Socy qui dicantur in ſaluo conductu, remiſſiuè.*
25 *Hiſpaniarum mos eſt non ſeruare fidem.*
26 *Cauendum à Catalanis.*
27 *Saluus conductus quando poſſit à Iudice concedi.*
28 *Saluus conductus in ſtatu eccleſ. publicatur in locis publicis.*
29 *Saluus conductus poteſt à Iudice concedi in ſtatu eccleſ.*
30 *Saluus cond. datus in eundo, intelligitur etiam in redeundo.*
31 *Saluus conductus quantum duret.*
32 *Saluus conductus extenditur ad res, & perſonas.*
33 *Saluum conductum habens ſi capiatur, debet reponi in priſtinam libertatem.*
34 *Saluus conductus morte expirat, niſi verba ſint ampla.*
35 *Saluus conductus an amittatur, ſi ſub eo delinquitur.*
36 *Iudex poteſt aſſecurare teſtes, vt tutò veniant ad ſe examinandum.*
37 *Saluum conductum petens debet narrare omnes qualitates.*
38 *Saluus conductus de conducendo intelligitur etiam de mittendo nuntium.*
39 *Capitaneus belli poteſt concedere ſaluum conductum bannito, & hoſti.*
40 *Saluum conductum Principis frangens quomodo punitur, remiſſ.*
41 *Clericus frangens ſaluam guardiam Principis, an poſſit per Iudicem laicum puniri.*
42 *Infamis poteſt allegare abſentiam citati, & debet admitti.*
*42 *Delinquens aliquando excuſatur ob cauſam.*
43 *Procurator an admittatur ad proponendum exceptiones dilatorias.*
44 Et quid in Regno Neapolitano.
45 *Quid in ſtatu Eccleſiaſt. co.*
46 *Vniuerſitas, & mulier coniugata an poſſit cõparere per procuratorem in criminalibus in dicto Regno.*
47 Et quid ſi fuerint citatæ decem perſonæ.
48 *Clericus in dicto Regno an poſſit per procuratorem declinare forum in criminalibus.*
49 *Et quid ſi citantur priuilegiati.*
50 *Priuilegium fori quando admittatur per contumaciam.*
51 *Procurator admittitur pro bannito ad petendum indultum pro illo crimine ex aliqua cauſa ſibi competenti.*
Quid autem ſeruatur in Regno Neapol. num. eod.
Quid in ſtatu Eccleſiaſt. num. eod.
52 *Exceptio impunitatis impedit proceſſum ad vlteriora.*
Etiam, quod bannitus interfectus eſſet extra territorium bannientis, num. eod.

QVÆST. XXXII.

1 *SAepenumero* [a] *in cauſis criminalibus poſt intimatas rei citationes comparent procuratores, & excuſatores, qui multas exceptiones proponunt: propterea videndum eſt, nunquid ſint huiuſmodi procuratores in iudicijs criminalibus* [b] *admittenda. In hac autem quæſtione facienda eſt in primis concluſio, quod regulariter in cauſis criminalibus non admittitur procurator, vt eſt text. in l. pen. §. ad crimen. ff. de pub. iud. vbi omnes notant, & in l. ſeruum quoque, §. publicè, ff. de procur.*

Et hæc concluſio locũ habet, non modo in criminibus publicis, prout loqui videtur text. in d. §. ad crimen, ſed etiam in priuatis delictis, & eſt communis opinio, vt atteſtantur ſcribentes in eodem. §. ad crimen, & in ſpecie Benedic. de Plumb. poſt numerum 3. & Rubeus, poſt nu 110. 121. & ſequen. Mar. an. in cap. veniens, numero 20. & ſeq. de accuſat. queru refert Boſſ. in tit. An in cauſis criminalibus, &c. poſt nu. 1. verſ. prima igitur, Rub. in d. §. publicè, nu. 2. in fin. Menchiaca controu. vſu frequentium, cap. 39. nu. 24. Et dicit Bart. in d. §. ad crimen, nu. 11 quod ita ſeruat conſuetudo. Quod tamẽ intellige, vt procedat quando pro huiuſmodi priuatis delictis impoſita eſt pœna relegation. ſupra, iuxta ea quæ dixi infr. verſ. ex hac autem, & ſeq.

Ratio autem huius con-
3 *cluſionis eſt, quia quilibet reus mitteret procuratorem, qui pro ipſo compareret, & vbi ipſe eſſet condemnandus pro delicto in aliquam pœnam corporalem, non poſſet fieri executio condemnationis: Sic etiam quilibet accuſator poſſet conſtituere procuratorem, & vbi ſuccumberet in iudicio accuſationis, euaderet condemnationem, quæ contra eum facienda eſſet ad pœnam talionis, & ſic omnia iudicia criminalia redderentur eluſoria. Et hæc eſt magis communicatio, vt dicit Alber. in dicto §. publice, poſt numero 18. Blanc. in pract. crimin. folio 15. numero 14. Bene verum eſt, quod quantum ad accuſatorem hodie ceſſat hæc ratio, cum ſit ſublata pœna talionis, vt dixi infra quæſtione 81. & conſequenter reſpectu accuſatoris ceſſat etiam ipſa concluſio. Et ideò ex parte accuſantis ſemper admittitur procurator, vt dixi infr. verſic. quæro nunquid.*

Ex hac [d] *autem ratione infertur, concluſionem ipſam intelligendam eſſe, vt procedat in illis cauſis criminalibus, in quibus venit* [e] *imponenda pœna corporis afflictiua, vt ſcilicet in illis non ſit admittendus procurator. Et hæc communis opin. ut dicit Sap. a in repet. l. imperium, numero 42. ff. de iuriſdict. omn. iud. Et ideò vbi pro crimine imponeretur pœna fuſtigationis, vel huiuſmodi, non eſſet procurator admittendus. Et hanc dicit eſſe communem opinionẽ Menchiaca controuerſ. vſu freq. cap. 17. numero 7. Si tamen in aliquo loco eſſet conſuetudo, quod admitteretur, illa ſeruanda eßet, prout atteſtatur eſſe ſtylum, & conſuetudinem patriæ Delphi. Guido Papæ diciſ. 338. aliquis accuſator, quod ſcilicet in cauſis criminalibus non capitalibus admittitur reus per procuratorem, etiam ad media cauſæ.*

Ceterum vbi ex iuris [f] *diſpoſitione non imponitur pœna corporis afflictiua, ſed tantum pecuniaria, eo caſu admittitur procurator: Et hac eſt communis concluſio Doctorum tam iuris ciuilis, quàm canonici, vt dicit Marian. in dicto capit. veniens, numero 24. Menchiaca in d. cap. 17. in fin. In iſtis enim caſibus ceſſat ratio concluſionis ſuperius adductæ;* [g] *nam cum executio condemnationis facienda ſit in bonis, non autem in perſona nihil intereſt fiſci, neque partis, an reus perſonaliter compareat, vel procuratorem ſe defendat.*

ADDITIONES
Ad Quæſt. XXXII.

a *SAepenumero.*] Vulpell. conſ. 57. dato quòd pœna exprobationibus futura eſſet minor capitali, Blanc. in praxi, numero 30. Farinac. alia tradit volum. 4. 1. par. quæſt. 99. *Roſ.*

Sæpenumero in cauſis.) Adde, quod in cauſis criminalibus, in quibus de iure non admittitur procurator, nec Papa, nec Imperator poteſt de poteſtate ordinaria ex parte rei pro-
1 curatorẽ admittere, † per text. ſingul in cap. veniẽs, de accuſat. per quem text. dixit Alexan. in dicto §. ad crim. in apoſt. ad Bartol. vide etiam Mille. in practic. crim. in rubr. denunc. formu num. 94. fol. 14. & Bertazzol. conſil. 422. numero 13. vol. 2. Et in hac
2 materia, quando procurator † poſſit admitti in criminalibus, vide Gabr. cõmun concl. lib. 7. concl. 9. vbi peſſimè, ac latiſſimè omnium, vide Menochium de arbitr. quæſt. 80. vbi multa ſtatuta ad hanc materiam facientia declarat, & vide Rubeu. Alexan. in tractatu ſuo de poteſtat. procurator. & defenſ. in cauſ. crimin. qui hanc materiam ex profeſſo diſputauit, & tractauit, & in caſibus, in quibus quis per procuratorem audiri non poſſit, non poterit audiri, etiam, quod eſſet minor,
3 † vt per Decian. in conſ. 18. nu. 178. & 200. vol. 1. & Bertaz. in d. conſ. 422. num. 11. vol. 2.

4 Item adde, quòd in Regno † Neapolit. ad tollendas cauillationes, & diſputationes fuit prouiſũ per rit. 269. quod in cauſis criminalibus nulla exceptio per procuratorem citati admittatur, niſi exceptio infirmitatis, aut abſentia, aut
5 captiuit. † poteſt tamẽ opponi per procuratorẽ nullitas citationis, ſi ſit notoria, & ex eiſdẽ actis oculis corporeis legi poſſit, ſecũdum Franch. in dec. 232. vol. 2. & in ſtatu eccleſiaſ. fuit prouiſum per Conſt. March. lib. 4. cap. 15. quòd vbi pœna ſanguinis veniret imponenda, nemo niſi in carcere conſtitutus audiatur per procuratorem,
6 † & per Pium IV. in cõſt. 76. vbi vlterius habetur,
7 quod proceſſus, & ſetẽtia pro reo perſonaliter non comparẽte lata, etiã fiſco, vel parte non agente, ſit nullius roboris, vel momẽti, protiuſq. pro infecta habeatur, & ipſe reus debitis pœnis puniatur, quẽadmodũ ante proceſſum, & ſententiam punitus fuiſſet. *Baiar.*

b *Admittendi.*] Adde in quibus caſibus procurator pro reo criminoſo in iudicjs interuenire non poteſt, & in quibus poteſt, pleniſſimè explicatum per Iacobum Menochium de arbitrar. Iudic. libro primo, quæſt. 80. & lib. 2. centur. 3. caſ. 264. Item ſcias, quod in caſibus, in quibus non eſt admittendus, quod ſi admittatur, valet proceſſus. Crauet. conſ. 220. nu. 4. Itẽ, quod accuſatus de crimine expilatæ hæreditatis poſſit ſe per procuratorem defendere, & opponere exceptiones concernẽtes accuſationis ineptitudinem, & cauſæ merita, conſultum vide per Cæpol. conſ. crim. 71. & quod clericus cõtra quem Epiſcopi Vicarius de homicidio vult procedere, poſſet ſe per procuratorẽ defendere, vide per eundem conſ. ſequen. & quãdo dubitatur, an debeat admitti, & ſuper iſto articulo ſtante ſtatuto loci, admittatur, vide per eundem in conſ. 73. *Giach.*

c *Ratio autem.*] Farin. vbi ſup. nu. 2. & 6. *Roſ.*

d *Et hac autem ratio-*
8 *ne*) Adde, quòd nec † in cauſa appellationis poteſt interuenire procurator. Auguſt. de Arim. ad Ang. in tract. malefic. in verb. præſente d. Gaio. num. 14. *Baiar.*

e *Imponenda pœna.*) Far. vbi ſup. n. 21. *Roſ.*

f *Ceterum,*) Farin. ibi. nu. 76. *Roſ.*

Ceterum ex iuris diſpoſitione.) Adde Marian. Socin. in d. c. veniens, nu. 50. cum ſeqq. vbi tractauit, quando procurator admitti debeat, vbi pœna ſit pe-
9 cuniaria, † & ibi diſtinguit, quod aut talis pœna imponitur de iure cõmuni, aut ex forma ſtatutorũ, & nu. 61 ponit duas notabiles limitationes, & n. 62. an & quando in crimi-
10 nalibus † ex parte accuſatoris procurator interuenire poſſit; ideò vide eum omninò in d. capit. in quo infinitos caſus examinauit, & totam materiam, quando, & quibus caſibus, & cauſis admittatur procurator in cauſa criminali habes longè copioſius, & clariùs expeditam, quam ceteri Doctores tractent ſimul iuncti, vt affirmat ipſe Soc. in fin. d. c. vbi dicit, quod illi, c. veniens poteſt dici benè veniatis, ſed hodie per conſtitutiones, ſtatuta, & cõſuetudin. adeò prouiſum fuit, vt ampliùs de hoc non ſit diſputandum, & in omnibus ferè delictis principales tenentur comparere perſonaliter, tanquam magis informati, & vt melius ueritas haberi poſſit, & ita ſeruat practica iuxta doctrinam Bart. in l. ſeruum, §. publicè, ff. de procurat.
11 quod Iudices † poſſunt dicere, nolle aliquem admittere; ſed uelle, quòd principalis compareat, vt uideant qua fronte, & qua trepidatione loquatur; per text. in l. minorem. §. tormenta. ff. de quæſt. licèt dicta doctrina Bart. intelligatur procedere, ut poſſit repellere procuratorem, non autem defenſorem, ſeu inſtructorem, ſecundum Veronenſ. conſil. 40. col. 3. in princ. quem refert, & ſequitur Roland. conſil. 47. numer. 21. bil. 3. uide etiam Capic. deciſ. 143. *Baiard.*

g *Nam cum executio.*) Hac igitur ratione attenta non eſſet nouum, ut cum citatur quis ſub præceptis pœnalibus, cùm non adſint indicia ſufficientia ad inquirendum modo, quo ſupra quæſt. 31. uerſ. quæro nunc, cum uerſ. ſequenti, & quæſt. 64. uerſ. ſed nunquid, talis citatus compareat per procuratorem; Nec aliter diſtinguo an crimen ſit publicum, uel priuatũ, ut tenuit Menoch. dict. Tractatu de arbitr. iudic. lib. 1. q. 80. n. 5. cum ſequentibus, quia pace tanti uiri, magis loquitur ad iactantiam, quàm ad ueritatem; Nam ex quo facienda eſt exequutio in bonis, ut hic, ceſſat ſemper ratio comparendi perſonaliter, & indiſtinctè, nec etiam pater pro filio admitti dixi infra uerſiculo finali, & libenter uidiſſem modum obtentum à Mandoſio tractatu de monitor. quæſtione ſecunda, de quo ſe iactat pro illo fiſco. Hinc eſt, ut ſtante ſtatuto, quòd minor annis quatuordecim non poſſit puniri ad mortem, nec nullatenus poſſit ei imponi pœna ſanguinis, ut eſt ſtatutum Riparoli in crim. rubr. 286. Et habetur in nou. Parmę conſtitut. tit. de aud. crim. §. nullus, uerſicul. Minores enim annorum quattuordecim, talis minor poterit comparere in iudicio etiam per procuratorem, ubi delictum eſſet etiam atrox, cum exprimat ſtatutum prædictum, quod in caſibus, in quibus aliqua ex prædictis pœnis inferretur maioribus quattuordecim annis, ipſe minor arbitrio prædicti Domini Vicarij generalis puniatur citra pœnam mortis, uel ſanguinis, ſuper hac eadẽ quæſtione, uerſiculo ſed quæro, ex quo declaratur aliud ſtatutum Riparoli prædicti, ſub rubric. 310. quo diſponitur per hæc uerba; quod requiſitus in maleficijs teneatur comparere per ſe, & uidetur, quod tale ſtatutum nõ habet locum in minore per ſupradicta. Declaratur item ſtatutum Pallauicinum in crim. rubr. 4.

His adde Menochium tractatu de arbitr. iudic. libro ſecũdo cent. 4. conſ. 229. num. 7. & lib. 1. q. 80. num. 116. & ſtantibus ſtatutis, ac conſtitutionibus ad fauorem minoris quatuordecim annis, ut ſupra, ſi confiteantur delicta, quod non reſtitui poſſint aduerſus eorum confeſſionẽ, Afflict. deciſ. 208. faciunt tradita per Marſil. rubric. de fid. quæſt. 50. ad fin. An autem iudex tunc replicare poſſet, quia uult reum perſonaliter comparere tanquam melius informatum, ut eſt infra, hac eadem quæſtione, uerſiculo Hæc autem concluſio, ibi, & in omnem caſum cogita: Nam ſtante clauſula in præcepto, quod